



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia**

Ab anno MCXVIII. ad annum MCLXXIX.

**Parisiis, 1644**

II. Malignantibus non debet dolus vel fraus patrocinari.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-15588**

Competen-  
ter determi-  
nat, cum  
prior Canō  
id non ne-  
get.

posteriorem Canonem, etiam post compaternitatem ge-  
niti, simul possint copulari, præter illam personam, per  
quam compaternitas contrahitur, nisi consuetudo ecclē-  
siae, quæ scandalum generet, aliter se habeat.

C A P. II. *Idem eidem in eadem epistola.*

Si vir vel mulier scienter aut ignoranter filium suum de  
sacro fonte susceperit, an propter hoc ab inuicem separari  
debeant & alii copulari, quia nos generaliter consulere  
voluisti, consultationi tux respondemus, quod quamuis  
sit generaliter constitutum vt debeant, quidam tamen hu-  
manius & potius sentientes, aliter statuunt: & ideo nobis  
videtur, quod siue ex ignorantia, siue ex malitia id fece-  
rint, non sunt ab inuicem separandi, nec alteri debi-  
tum debet subtrahere, nisi ad continentiam seruandam  
possint induci. Quod si ex ignorantia id factum est, eos  
excusare ignorantia videtur: si ex malitia, eis sua fraus non  
debet patrocinari vel dolus.

PARS  
XXXIII. QVI FILII SINT LEGITIMI,  
ET DE EXACTIONE DOTIVM  
post diuortium, & ad quem pertineat  
huius causæ cognitio.

## C A P. I.

*Idem\* Exonienſis episcopo.*

**M**EMINIMVS nos fraternitati tua super causa quæ in-  
ter P. & R. de quadam hereditate vertitur, quam  
idem P. nomine Sibyllæ vxoris suæ petebat, tali modo scri-  
psisse, vt si constaret, prout literæ tuæ continebant, inter  
dicti R. patrem & matrem, post eius natuitatem matri-  
monium fuisse contractum, eum omni appellatione remo-  
ta legitimum esse denunties, & ab hereditate paterna pro-  
pter causam prædictam nullatenus debere repellи. Tanta  
est enim vis \* sacramenti, vt qui antea sunt geniti, post  
contractum matrimonium habeantur legitimi. Verum  
quoniam P. vltra quam in literis tuis continetur, nobis  
significauit, quod pater suus, viuente vxore, matrem R.  
tenebat, & eum in adulterio procreasset, & quod in mor-